COBET, C.G.

Praefatio lectionum de historia vetere in Academia lugduno-Batavia.

XVII :-
420





PRAEFAT

LECTIONUM

DE HISTORIA

IN

ACADEMIA LUGDU

ANNO MDCCCLIII-

IN PROVECTIO

HABENDA

A

C. G. C

LUGDUNI-B

APUD JAC. HAZENBE

MDC

BA
GENOOT
VA
KEN

PRAEFATIO

LECTIONUM

DE HISTORIA VETERE

IN

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

ANNO MDCCCLIII—MDCCCLIV.

IN PROVECTIORUM USUM

HABENDARUM

A

C. G. COBET.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD JAC^M. HAZENBERG, CORNELII FIL^M.

MDCCCLIII.

BAT. GENOOTSCHAP VAN K.EN W.
PERPUSTAKAAN NASIONAL

Item Id: 0210207140

PERPUSTAKAAN NASIONAL RI.
Tanggal : 8 Maret 2012
No. Induk : 20064/PN-MUSEUM/'12
BIB - ID : 10488660
Beli / Hadiah : Ex. Museum

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

PERPUSTAKAAN NASIONAL

Pergratum et iucu
litones, quod Histori
et sensistis, quantum
lium cognitio, divisa
undique illustrata
populorum fuit et
ingenium faceret, s
quibus vitae taberna
mandas valeret:

Laudes Historiae
porum, *lux veritatis*
vetustatis" dici cele
tentia omnium,
ille quidem et or
vitae magistram app

[1]) De Orat. II. 9.
quid aetas quam natura
ea acta hominis mei ex

Pergratum et iucundum mihi accidit, carissimi Commilitones, quod Historiae Veteris studia ipsi ultro expetivistis et sensistis, quantum illa rerum magnarum et memorabilium cognitio, divisa temporibus, distincta locis, diligenter undique illustrata observatione morum et ingenii, quod populorum fuit et principum, non tantum ad alendum ingenium faceret, sed etiam ad litteras, quas colitis et in quibus vitae tabernaculum posuistis, illustrandas et confirmandas valeret.

Laudes Historiae omnibus in ore. Historia *„testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuncia vetustatis"* dici celebrariquē solet verbis CICERONIS [1]), sententia omnium, laudantium et plaudentium. Graviter ille quidem et ornate, ut solet, et vere, imprimis quod *vitae magistram* appellavit. Persensit hoc LIVIUS, qui egre-

[1]) De Orat. II. 9. § 36. Idem in *Oratore* XXXIV § 120. *Nescire quid antea quam natus sis acciderit id est semper esse puerum. Quid enim est aetas hominis nisi ea memoria rerum veterum cum superioribus contexitur?*

**

gie in eam rem haec nobilissima verba in Praefatione posuit: *hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, unde tibi tuaeque reip. quod imitere capias, unde foedum incepto foedum exitu quod vites.*

Sunt quibus in ea re vetera prae novis sordeant: recentia, vicina locis, propiora moribus, institutis, legibus, sacris nostris, similiora denique nobis rebusque nostris omnibus unice probantur a multis ad vitam exemplorum auctoritate regendam et remp. bene constituendam.

Quasi vero res vetustae inter aliud genus hominum actae gestaeque fuerint atque nos hodie sumus. Mutatis nominibus, nonnullis leviter deflexis eaedem propemodum in orbe terrarum nunc aguntur fabulae, quae olim agebantur. Homines semper et ubique sunt homines. Vitia humani generis atque virtutes, aegritudines, cupiditates eaedem nunc sunt omnes, quae fuerunt atque *post aliis erunt in annis* [1]). Valet hic regis sapientissimi dictum, quod verbis dicam Terentianis:

Nullum est iam factum, *quod non sit* factum *prius* [2]).

Partes tantum aliter divisae locis temporibusque aut coniunctae sunt. Habet hoc antiqua historia ut placidioribus animis et mente magis quieta et composita cognosci possit. In rebus nostris et nostrorum nubila mens est,

---

[1]) Catull. ad Cicer. carm. 49.
[2]) *Eunuch.* Prolog. vs. 41.

quam cupiditas, studium, odium, ira nimis saepe agunt transversam. Aperueris in historia docenda vel scribenda scelera et maleficia Regum, Principum, potentiorum, vel fanaticorum hominum, sacrificulorum et sacerdotum flagitia ac pias fraudes, argueris subdolum genus eorum, qui se posthabitis rebus suis omnibus libertatis assertores iactarunt, ut ipsi in stolidam multitudinem dominationem exercerent, et populo serviebant scilicet ut rerum potirentur — quidquid horum attigeris ac palam feceris, ingentes irae et odia exardescunt ut *ignes suppositi cineri doloso* [1]). Se, suos, sua notari arbitrantur, sua facinora, suam factionem, sua sacra aut antistites describi et telis ex occulto insidiose coniectis peti suspicantur, quemadmodum Tiberium legimus poëtam adegisse ad necem *„quod in Tragoedia Agamemnonem probris lacessisset"* [2]); se ipsum dici credebat, quia se tacita conscientia arguebat iisdem probris esse dignissimum.

Denique historia antiqua in illustriore posita monumento est, in qua scribenda summa ingenia et principes in rep. viri gloriam sibi immortalem apud posteros non vana spe quaesiverunt, neque eae res sunt brevis aevi aut paucorum saeculorum experimenta, sed per longam saeculorum seriem ad finem sibi fatis debitum pervenerunt, quamobrem in veteri historia non sagaci coniectura quid ex quaque re

---

[1]) Horat. Od. II. 1. 8.
[2]) Suet. in *Tiberio*, c. 61.

PERPUSTAKAAN NASIONAL

eventurum videatur quaerendum est; quem eventum omnia tandem habuerint in clara luce videmus.

Propositum est mihi vobiscum historiam populorum veterum pertractare partim copiose et accuratissime, partim summam rerum adumbrare, ut ipsi ad hanc rationem ex assidua lectione veterum monumentorum veluti corpus quoddam historiae componere et omnibus undique partibus et particulis artificiose coniunctis tamquam aliquod aedificium construere et ornare discatis.

Difficile et arduum hoc negotium est cum aliis de causis tum maxime ob id, quod nunc dicam.

Solebat Demades dictitare: *si quid in rep. administranda deliquero aut secus gessero aequi bonique erit consulendum, namque non remp. rego, sed reliquias ex reip. naufragio superstites, συγγνώμης ἄξιός εἰμι πολιτευόμενος τὰ ναυάγια τῆς πόλεως* [1]). Eadem est illorum ratio, qui ex Litterarum veterum strage et exitio hodie reliquias colligunt ad historiae compagem reficiendam. Bona et luculenta pars historiae intercidit, quia periere monumenta omnia, quibus eius certa fides constabat. Aliae partes hauriendae sunt, non ex puris et limpidis fontibus, sed ex rivulis turbidis et lutulentis, ubi quod verum est admixtis fabulis ex studio et ira fictis tantopere est depravatum ut vix appareat dignoscique possit et ex his sordibus et commentis exsculpi. Quid? putatisne Persarum historiam ex Graecis

[1]) PLUTARCH. in *Phocione*, cap. I.

testibus sciri posse, vel Poenorum ex Romanis? Nemo esse potest tam simplex, ut lenissime dicam, quin sentiat quam nihil tribui possit testimoniis acerrimorum hostium. Inter Graecos et Barbaros, inter Romanos et Carthaginienses erat internecivum odium, quod seri posteri a maioribus acceptum retinebant [1]). At nos quid rerum egerint Barbari, Persae, Poeni, alii, quibus consiliis egerint, quibus moribus usi fuerint, quo ingenio fuerint, remp. quomodo constitutam habuerint, ex solis propemodum Graecis Romanisque audivimus. Praeterea quod posteritatis aequitati et iustitiae plurimum omnes tribuunt, quod credunt aequalium et popularium invidiam aut assentationem posteritatis circumspecto iudicio redargui et errores hinc natos tolli emendarique solere, non ita est, Commilitones. In posteris non sunt eae cupiditates, non studia, non odia, quae aequales in suos cives transversos agebant. Placatae sunt irae, pacati animi, invidia in mortuos ipsa continuo

[1]) Quidquid de Regulo omnibus suppliciis excarnificato Romani scriptores memoriae prodiderunt satis apparet impudenter eos mentiri. Contra quam inhumana et immani crudelitate *lupi* Romani saevierint in captivos nobiles et immerentes, quantum atrocis saevitiae fuerit in Reguli uxore foedum lectu exstat apud DIODORUM SICULUM in Excerptis lib. XXIV. p. 566. Wessel. Facile est in iis testem agnoscere domesticum et illis temporibus fere aequalem. Aut ego vehementer fallor aut apud DIODORUM imprudentes legimus bonam partem Annalium, quos primus omnium FABIUS PICTOR Graece scriptitavit, estque is ipse locus de Reguli uxore et Atiliis ex FABIO excerptus. Sed cuiuscumque tandem hoc testimonium est, aliquanto est antiquius quam sunt Romanorum de Reguli morte commenta et mendacia, quae non ab aequalibus ficta sunt sed a posteris avita odia retinentibus et post longum intervallum tutius mentientibus.

PERPUSTAKAAN NASIONAL

moritur. Facile credimus. Sed una moritur rerum praeteritarum ac temporum diligentior et interior notitia et intelligentia, itaque tum demum aequi sedent iudices et iustae sententiae feruntur quum non amplius accuratissime constat de quali re sit iudicandum. Historici recentiores igitur rerum notitiam ab aequalibus rerum repetentes et ipsi imprudentes iisdem irretiuntur laqueis, quibus illi constricti fuerant, quominus quod verum et aequum esset sentirent et agnoscerent [1]).

Non facile genus humanum et societas hominum simul effugit duplex malum, servitutem, quum quod sentias dicere non ausis, et libertatem immodicam et effrenatam, quum cuivis in quemvis liceat comminisci opprobrium quodlibet et popello hianti pro verissimis venditare quidquid simultas et depravati animi aerugo impudenter finxit in innocentes. Sed bonum factum, quod suapte natura quod verum est et sanum obscurari et laborare potest, ut sol deficiens, sed, ut idem, extingui et perire non potest. Nihil est in historia discenda fructuosius quam acumine iudicii sic uti, ut ex testimoniis diversis, male discrepantibus, non integris eruas et discernas quid rei

---

[1]) Plut. in *Pericl.* cap. XIII. Οὕτως ἔοικε πάντη χαλεπὸν εἶναι καὶ δυσθήρατον ἱστορίᾳ τἀληθὲς ὅταν οἱ μὲν ὕστερον γεγονότες τὸν χρόνον ἔχωσιν ἐπιπροσθοῦντα τῇ γνώσει τῶν πραγμάτων, ἡ δὲ τῶν πράξεων καὶ τῶν βίων ἡλικιῶτις ἱστορία τὰ μὲν φθόνοις καὶ δυσμενείαις, τὰ δὲ χαριζομένη καὶ κολακεύουσα λυμαίνηται καὶ διαστρέφῃ τὴν ἀλήθειαν.

sit, quae sit incorrupta fides veritatis, quid sordium affricuerit vel aequalium invidia, adulatio, superstitio, vanitas, vel posterorum levitas, inscitia et negligentia. Permulta etiam nunc reperiri possunt, quae per plurima saecula hominum aut monumentorum vitio densis tenebris premuntur, aut contra rerum fidem creduntur aut temere sine auctore idoneo, nonnumquam sine ullo auctore invenere fidem.

In huiusmodi autem studiis historicis primarium et summum est, quod nunc dicam. Arctissimo vinculo coniungenda sunt studia Litterarum et Historiae in hunc modum ut coalescant et divelli non possint adeoque semper suopte ingenio Historia ex Litteris colligatur et alatur, et Litterae vicissim perpetuo ex Historia intelligantur et confirmentur. Litterae si columtur neglecta historica methodo, neque uno tenore semper Historiae luce collustrantur, habent fortasse otii iucunde et perhoneste fallendi facultatem egregiam, sed non satis valebunt ad vitam prudenti consilio constituendam regendamque. Doctus eris, sed vir fortis et constans non eris, sed bonus civis non eris. Proderis fortasse aliis tua inventa sollerter utentibus, sed tibimet ipse non proderis. Quid expedit aut iuvat Litterarum partes omnes tenaci memoria complecti et *historias*, ut Iuvenalis ait, *scire omnes* [1]), si non melior, non prudentior, non sanior aut humanior denique ex illa diffusa eruditione evasisti. Quam turpe ac foedum, quam iocu-

[1]) IUVEN. *Sat.* VI. vs. 450.

***

PERPUSTAKAAN NASIONAL

lare etiam et ridiculum est Romanos et Graecos sedulo trivisse omnes et in ea re aetatem contrivisse ac nihil tamen Romanae constantiae, nihil elegantiae Graecae in vitam et mores traxisse. Perinde est nil nisi Glossaria et Lexica pervolutasse, non capitalia ingenia diu et multum ex propinquo spectavisse. Eodem modo qui Historiam ab linguae et Litterarum interiore notitia et perpetua observatione divellit, fallit et ipse suaviter et cum laude otium, sed nil agit quod sit sano homine, quod sit vita dignum. Is adeo mihi (ac multa vidi ingenia huiusmodi et Vos videbitis) etiam deterior videri solet, quam qui in verbis totus est rerum securus et ignarus. Qui se totos abdiderunt in *verborum* observationem mitiores esse solent et clementiores, non contemnunt reliqua, sed suo se modulo sese metiri dictitant et naturam sequi indolemque sui ingenii altiora non satis assequentis et illa praeclara doctioribus et acutioribus relinquentis. Honesta oratio est et modesta. Contra qui toti sunt in *rebus*, vel, ut ipsi loquuntur, in *realibus*, verborum osores, interpretationis anxiae et diligentissimae superbi contemtores, clamosi esse solent et iactabundi: nihil esse quod non teneant perspiciantque et credunt et dictitant. Non miraberis, si videbis unde illi rerum scientiam hauriant. Nempe quemadmodum aranea telam ex se ipsa gignit, sic illi, quidquid non aliunde ab aliis paratum arripuerunt, ipsi de suo explent et suo arbitratu fingunt et componunt. Sic exit aliquid, quod omnibus numeris videatur absolutum, sed idem veluti araneae

PERPUSTAKAAN NASIONAL

tela est, quae (ut Aristo• [1]) iocabatur) summo artificio contexta est, sed nulli rei utilis, quia vera et certa non sunt quae ab iis traduntur, quia ficta multa sunt et commenticia, quia diversa et aliena permixta sunt et confusa et contra naturam rerum et vetustatis memoriam in unum corpus coniuncta.

Si haec mulierculae legunt, aut viri mulierculis non multum dissimiles, confectum iis negotium et consummatum videtur, qualis illa fuit, unde Historiam universalem dedicerat *puerulus pipiens*, quem describit in vita Ruhnkenii Wyttenbachius [2]). Quaere ab huiusmodi historico auctores ac testes, exquire argumenta, posce rationes, haerebit et nihil habebit quod dicat, nisi forte eas res tam certas esse et exploratas ut absurdum sit de iis dubitare, de quibus constet inter omnes praeter unum fortasse et alterum nasutum et molestum cavillatorem.

Optimum factu est homines huiusmodi suas sibi *res* habere iubere, ut ipse meliora et certiora quaeras.

Sequitur autem ex ea ratione, quam in historia colenda unice probandam esse contendimus, eas tantum partes Historiae Veteris nobis patere, in quibus Historiam cum

---

[1]) Diog. laërt. VII. § 61. ἐοικέναι δὲ (ὁ Ἀρίζων ἔλεγε) τοὺς διαλεκτικοὺς λόγους τοῖς ἀραχνίοις, ἃ καίτοι δοκοῦντα τεχνικόν τι ἐμφαίνειν ἄχρηστά ἐστιν, et stob. *Floril.* LXXXII. 15. Ἀρίζων τοὺς λόγους τῶν διαλεκτικῶν τοῖς τῶν ἀραχνίων ὑφάσμασιν εἴκαζεν οὐδὲν μὲν χρησίμους, λίαν δὲ τεχνικούς.

[2]) P. 146. sqq. Edit. Bergm.

Litteris coniungere possimus. Itaque Assyrios v. c. relinquemus illis, qui se eorum monumenta interpretari posse perhibent, et ipsi constanter hoc tenebimus: *nemo potest historiam populi cognoscere, cuius linguam non teneat, cuius litteras non noverit, et quo erit cuiusque maior interiorque linguae et litterarum peritia, eo quisque melius et diligentius historiam callebit.* Clarius etiam hoc quale sit intelligetur, si quis meminerit historiam esse oportere tamquam speculum in quo vita populi tota appareat, et nihil quod faciat ad eam spectandam et contemplandam ab historia esse alienum. Vita autem populi cernitur in monumentis omne genus, quorum nullum sine detrimento negligi potest: atqui intelliguntur haec ipsa monumenta atque adeo cognoscuntur et tractantur ab iis solis, qui in Litteris vivunt et regnant. Nullus est Graecus scriptor aut Romanus historiae prorsus inutilis. In historia antiqua deficit artificem materia, quo turpius est quod superest, quamquam in obscuro lateat, negligere vel ignorare. Deinde, ut est in proverbio notissimo: *duo quum faciunt idem, non est idem* [1]), sic etiam duo testes, patriae et aetatis et indolis diversae, quum dicunt idem non est idem. At quis hoc sentiat nisi qui sermonis communione utrique testi quasi popularis et aequalis fieri potest, et sic demum quid vir viro praestet discernere et quid distent aera lupinis agnoscere et arguere?

---

[1]) TERENT. *Adelph.* V. 3. 37.

PERPUSTAKAAN NASIONAL

Vobis igitur, carissimi Commilitones, ea res, quam agimus, accommodatissima est: didicistis Litteras, Historiam requiritis. Stat mihi sententia, quam modo dixi, Litteras ab Historia sine utriusque rei detrimento et labe disiungi non posse, easque ita inter se aptas et nexas esse, ut qui alterutram partem recte colat necessario alteram sociam et administram debeat adhibere. Superest igitur ut ratio apparcat, qua utriusque rei studia coniungantur. De ea re multis dicerem si esset vobis nova et inaudita: nunc autem nihil vobis est notius. Nempe quam rationem, quam methodum in Litteris, in Antiquitatibus sequi solemus, eadem, si me audietis, historiae veteris notitiam estis assecuturi, namque haec omnia sunt rei eiusdem partes inter se non dissimiles. Itaque quod agitis pergetis agere quemadmodum soletis: hoc tantum intererit quod eodem modo aliquid novi quaeremus. Itaque Historia vetus ab ipsis veteribus discenda est, horum fide sola standum, ubi acuto iudicio satis sit compertum nihil fraudis, nihil erroris subesse. Videndum ante omnia est, qui testes rerum temporumque veterum prodeant, qui scriptores de magna copia sint superstites quidve ferant. Inquirendum est anxie in singulos, qui quid pro testimonio sunt dicturi: videbitis quam pauci sint, quibus aliquid credi possit *iniuratis*. Praecipue autem cavendum in Graecis, quos multum amo et diligo, sed non ut praetervideam si quid praeter aequum et bonum callide et astute simulant aut dissimulant. Ardens ille amor veritatis, probitatis, integrita-

tis, aequitatis, quo nostratibus pectora sunt inflammata, apud Graecos neque in re publica cernitur, neque in privata. Sollertia est in honore, calliditas et versutia laudi sunt et admirationem movent, fides laudatur et alget. Apud nos si quem lucri caussa scientem dolo malo mentitum esse constat, odimus hominem et contemnimus, Graecis est σοφὸς ἀνήρ, contra homo candidus, apertus, simplex, probus apud eos cum leni irrisione dicitur homo *bonae indolis*, εὐήθης, sed sic ut *stultus stolidusque* esse significetur. Quamquam si forte quis apud populum ingeniosum et ingeniose mendacem et varium probus nasceretur, solebat ea probitas eximia et plane singularis esse, et quod PLATO scribit in libris de Legibus: τὸ ὑπὸ πολλῶν λεγόμενον, ὡς ὅσοι Ἀθηναίων εἰσὶν ἀγαθοὶ διαφερόντως εἰσὶ τοιοῦτοι, verissimum est, ut ipse praedicat, ἀληθέστατα δοκεῖ λέγεσθαι [1]). Apud Athenienses prodiit exemplar probitatis et integritatis ARISTIDES, exemplar fidei historicae THUCYDIDES.

Non possum quin utar in Graecos verbis CICERONIS, qui eos bene et penitus noverat: *tribuo Graecis*, inquit [2]), *litteras, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam, denique etiam si qua sibi alia sumunt non repugno, testimoniorum religionem*

---

1) Lib. I. p. 642. C. addit: μόνοι γὰρ ἄνευ ἀνάγκης αὐτοφυῶς θείᾳ μοίρᾳ ἀληθῶς καὶ οὔτι πλαστῶς εἰσὶν ἀγαθοί.

2) CICERO *pro Flacco*, cap. IV.

et fidem numquam ista natio coluit, totiusque huiusce rei quae sit vis, quae auctoritas, quod pondus ignorant. Et post pauca: *Videte,* inquit, *quo vultu, qua confidentia dicant, tum intelligetis qua religione dicant.*"

Valent haec eadem in scriptores Graecos bene multos. Saepe vobis ostendam ea quae certo sciant esse falsissima summa confidentia vel, ut ex nostris moribus dicam, summa impudentia asseverantes. Nihil illi ignorant, omnia confidenter affirmant et accurate definiunt, etiam quae facta numquam sunt aut fieri omnino non possunt. Saepe usu venit, quod dicit POLYBIUS noto loco: Si Graeco talentum unum publice committitur, sedulo in tabulas publicas refertur, custos additur, decem sigillis obsignatur, datur iusiurandum, testes adhibentur decem, at vel sic tamen talentum εἴχεται [1]).

Constat igitur mentiri posse: facile dictu est in quo genere soleant esse mendaces. Graeci superbi acuto naso suspendunt omnes, quibus non contigit ut in Graecia nascerentur. Quidquid Graecum est ac suum laudant, celebrant, augent, amplificant verbis, si magna sunt *de magnis maiora loquuntur* [2]), si parva sunt et tenuia verbis exaggerant, si quid turpe est verborum lenitate mitigant, si nihil est ipsi ultro aliquid comminiscuntur. Si quem amant, vehementer amant, quem oderunt, acerrime oderunt.

---

[1]) POLYBIUS lib. VI. cap. 56. § 13.

[2]) JUVENAL. *Sat.* IV. 17. Cf. SALLUST. *Catil.* VIII. et ibi Cortium.

Virtus habetur τὸν μὲν φίλον πάντα ταγαθὰ ποιεῖν, τὸν δ' ἐχθρὸν πάντα τὰ κακά, neque ποιεῖν tantum, sed, quod maxime historiam corrumpit, λέγειν quoque. Itaque complusculi eorum qui res scribunt animo bellum gerunt cum Graecorum hostibus et stilo eos debellant [1]), novas victorias calamo et atramento reportant, laudes sibi ac suis affingunt novas eaque fraus conniventibus omnibus diu in tuto latet. At vel sic tamen τἀληθὲς κρατεῖ et quod verum est non potest semper opprimi sed erumpit. Dabo exemplum. Cives Attici omnes unanimi consensu iactant et concelebrant gloriosam pacem, quam Cimonis victoriae Regi Persarum extorsisse credebantur. De multis testibus producam unum magni nominis, DEMOSTHENEM [2]) *„Maiores nostri*, inquit, *Calliam, Hipponici F., (et omnes, certo scio, de ea re inaudivistis) qui illam celeberrimam pacem composuit in has leges:* ne rex Persarum cum copiis ad mare accederet intra illud spatium, quod equus uno die cursu conficere posset, neve navi longa ultra Chelidonias et Cyaneas insulas progrederetur, *quia in ea legatione munera*

---

1) LUCIANUS, *Quomodo sit Historia conscribenda*, § 14 perstringit historicum, qui ἐπὶ τέλει τοῦ προοιμίου ὑπισχνεῖτο διαρρήδην καὶ σαφῶς ἐπὶ μεῖζον μὲν αἴρειν (lege ἀφεῖν) τὰ ἡμέτερα, τοὺς βαρβάρους δὲ καταπολεμήσειν καὶ αὐτὸς ὡς ἂν δύνηται. Habemus confitentem reum. Caeteri infitias eunt et dissimulant, sed argumentis convincuntur. Sic Timaeus cum Agathocle bellum gerebat, Phylarchus cum Arato, Polybius infestior est Cleomeni, Xenophon Epaminondae, alii aliis, Theopompus omnibus. Vid. PLUTARCHUM in *Arato*, cap. XXXVIII. sub finem.

2) *De Falsa Legatione*, p. 428.

a Rege accepisse videbatur, parum abfuit quin capitis damnarent et quinquaginta talentis multarunt." Non est verbum unum in his verum. De pace omnino actum non est, neque de ea re ulla legatio missa ad Regem est. Itaque Callias in iudicium ob eam rem adduci non potuit neque adeo damnari, neque omnino umquam pax ulla quibuscumque conditionibus composita est, neque quidquam veri his verbis inest, quamquam addit Orator: „*Respublica nullam umquam pacem neque antea neque postea composuit, quae clarior et gloriosior sit quam haec est.*" At vero THEOPOMPUS historicus Atheniensibus infensior demonstravit et in aliis rebus *Atticorum iactantiam Graecorum credulitati imposuisse* [1]) et illam pacem fictam esse et commenticiam, et, quod maximum est, ipsam columnam lapideam, in qua leges foederis insculptae servabantur et monstrabantur, dolo malo esse suppositam. Demonstravit hoc argumento invicto ex eo genere, quod nunc *palaeographicum* appellamus, quod, quia explicare longum est, ab Harpocratione cognoscite in v. Ἀττικοῖς γράμμασιν. Satis certum est THEOPOMPI librum editum esse aliquanto prius quam Demosthenes Aeschinem de male gesta legatione accusaverit, sed parum aut nihil talia morabantur. Libri Platonis et Xenophontis erant in omnium manibus, quum AESCHINES

---

[1]) THEOPOMPUS in libro XXV *Philippicorum* fragm. 167 Mull. enumeratis Atheniensium fraudibus καὶ ὅσα ἄλλα, inquit, ἡ Ἀθηναίων πόλις ἀλαζονεύεται καὶ παρακρούεται τοὺς Ἕλληνας.

Timarchum accusans palam in iudicio diceret: *„vos Sophistam Socratem capitis damnavistis, iudices, quia satis constabat eum Critiam instituisse* [1]*).“*

Propero ad Romanos, qui quantopere historiam depravarint nimio suorum amore pervulgata res est. Lepide dicit POLYBIUS [2]): *„Fabius (Pictor) et Philinus historiam scribentes belli Punici similes sunt amatoribus amicam suam admirantibus. Fabio, quidquid Romani faciunt, videtur Φρονίμως, καλῶς, ἀνδρωδῶς factum, Philino contra quidquid Carthaginienses.“* Accipite eiusdem rei aliud ex LIVIO loculentum exemplum. LIVIUS libro V describens captam et incensam a Gallis Urbem, Capitolium obsessum, Romanos de redemtione pactos, continere se non potest et in haec verba erumpit [3]): *„Sed Diique et homines prohibuere redemtos vivere Romanos, nam forte quadam priusquam infanda merces perficeretur, per altercationem nondum omni auro appenso Dictator intervenit auferrique aurum de medio et Gallos* submoveri *iubet“* — per lictores, credo — miseri Galli *pactos sese* dicunt. Respondet Dictator: *ratam illam pactionem non esse, quae iniussu suo ab inferioris iuris magistratu facta esset* — — ita quidem cavillari nobis *infandum* videtur, at illi contra, Romanos se auro redemisse. Ergo *denuntiat Gallis ut se ad proelium expediant.* Satius erat

---

1) AESCH. *in Timarchum*, p. 24, 33. ὑμεῖς, ὦ Ἀθηναῖοι, Σωκράτην τὸν σοφιστὴν ἀπεκτείνατε, ὅτι Κριτίαν ἐφάνη πεπαιδευκώς.

2) POLYB. I. 14. § 2, 3.

3) LIV. V. 49.

incautos hostes opprimere, sed non videtur hoc magnanimo Dictatore satis dignum. Galli igitur se expediunt interea ad proelium et *primo concursu* nullo negotio funduntur et fugantur. Tamen incertum qua de causa funduntur et fugantur iterum *ad octavum lapidem iustiore proelio*, ut ait LIVIUS. *„Ibi* vero *caedes omnia obtinuit, castra capiuntur et ne nuncius quidem cladis relictus"* Sunt haec ipsa Livii verba. Itaque omnes perierunt ad unum *et ne nuncius quidem cladis relictus.* Neque immerito: quid enim attinebat urbem Romam capere et incendere?

Dicam quod sentio verbis notissimis SEMPRONII ASELLIONIS [1]): *hoc fabulas pueris est narrare, non historias scribere.* Fraus perpluit. Figmenta esse Romanorum apparet ad velandam et minuendam cladis et captae Urbis ignominiam. Quid, si addidero, (et omnes, sat scio, de ea re inaudivistis) ne unum quidem Gallum neque intra pomoerium neque extra pomoerium a Dictatore esse occisum, sed omnes salvos et incolumes cum omni praeda et auro, quae fuerat *infanda merces* pactionis, laetos rediisse in patriam. Indubitata res est, certus auctor, POLYBIUS lib. II [2]), quem legebant omnes, LIVIUS ante omnes, at om-

---

[1]) Apud GELL. *N. A.* V. 18.

[2]) Polyb. II. 18. § 3. et imprimis cap 22. § 4, 5. ἐνίκησαν μαχόμενοι Ῥωμαίους καὶ μετὰ τὴν νίκην ἐξ ἐφόδου κατέσχον αὐτὴν τὴν Ῥώμην, κρατοῦντες δὲ καὶ τῶν ὑπαρχόντων ἁπάντων ἐγκρατεῖς καὶ τῆς πόλεως αὐτῆς ἑπτὰ μῆνας κυριεύσαντες τέλος ἐβουλοντὶ καὶ μετὰ χάριτος παραδόντες τὴν πόλιν ἄβραυστοι καὶ ἀσινεῖς ἔχοντες τὴν ὠφέλειαν εἰς τὴν οἰκείαν ἐπανῆλθον cf. cap. 23. § 8.

PERPUSTAKAAN NASIONAL

nes mentiri malebant *ad maiorem*, ut nunc loquimur, Urbis Romae *gloriam* [3]).

Videtis, carissimi Commilitones, quam caute testes sint audiendi, quam sollerter interrogandi et observandi satisne sibi constent, quam saepe redarguendi et destruendi. In singulis semper nobis erit attendendum, unde sua hauserint, quo ingenio, qua fide sint, gravesne et rerum quas narrent bene gnari, an leves et futiles aut temere secuti auctores vel malos vel veri negligentiores.

Inquirendum nobis perpetuo erit in ipsos huius doctrinae fontes et acute discernendo tandem quid verum sit apparebit.

Ingens est rerum cognoscendarum copia et varietas, de quibus ne multitudine mens obruatur et vacillet memoria, potiora tantum delibabimus, quae scire est necesse, quae ignorare foedum est.

Res gestae ita nobis erunt cognoscendae ut inde vita moresque populorum cognoscantur, ut cognoscatur vita principum virorum, eorumque indoles introspiciatur virtutesque appareant, ut constet quibus moribus virisque respublicae steterint, quibus defecerint, quibus pessum ierint.

Duo sunt praecipue huius doctrinae necessaria subsidia,

---

3) Quamquam certum est neminem umquam historiae studiosum neglexisse POLYBIUM, unus tamen omnium est, qui hoc Polybiano testimonio in hac historia utatur, PLUTARCHUS in iuvenili opella *de Fortuna Romanorum*, et is quoque dubitanter, p. 325. F εἰ δὲ, ὥσπερ Πολύβιος ἐν τῇ δευτέρᾳ ἱστόρηκεν, ἀληθές ἐστιν. At idem in vita *Camilli* cap. XXIX et caeteri omnes scientes dolo malo dissimulant.

quae et universam et partes singulas in clara luce ponunt et lucido ordine disponunt, temporum accurata notatio et diligens locorum descriptio, *Chronologiam* appellant et *Geographiam*, duo Historiae lumina: verissime quidem, nam ubi haec absunt, capta luminibus et caeca vagatur. Operam perdit qui in historia negligit alterutrum. Nos coniungemus utrumque et identidem etiam de industria vos Geographiam veterem docebo, quae solet indignissime a multis negligi, unde nascitur rerum et notionum in animis ea confusio, quae plus affert ingenio humano detrimenti quam multiplex et diffusa eruditio emolumenti potest afferre, ut fere plus prosit nihil scire quam istam inanem scientiae speciem et umbram prae se ferre.

Magna me spes tenet fore, Commilitones, ut vos ab istis, et si qua alia bona studia impediunt, caveatis et haec quoque acriter et diligenter agatis et peragatis. Quamquam quis hortatur quos videt citato cursu ferri, vosque mihi plerique omnes longo usu cogniti et multa Litterarum stipendia una fecimus. Ita nobis igitur haec exercitia utilia et frugifera sint, ut ego de vobis vestrisque studiis optima et praeclarissima quaeque animo auguror.

DIXI.

PERPUSTAKAAN NASIONAL

PERPUSTAKAAN NASIONAL

PERPUSTAKAAN NASIONAL





SLAMET AHMADI
TGL.

